

I. — Cum Ecclesia Metropolitana Antequerensis eiusque duae suffraganae antiquiores, Yucathanensis videlicet, et Chiapensis regantur iuxta antiqua statuta a Concilio III Mexicano exarata et ordinata, et postea a Sede Apostolica approbata et confirmata; mandamus ut in posterum eadem statuta ab ipsarum Capitulis serventur, cum modificationibus in hac nostra prima Synodo Provinciali Antequerensi a nobis statutis.

II. — Quo circa habeant Decanum et Archidiaconum ceterasque dignitates, Canonicos et Praebendatos, prout in praelaudatis statutis praescriptum habemus; attentis tamen adiunctis in quibus versamur; fiat eo numero et modo, quo ipsis Episcopis et propriis Capitulis opportunum et possibile videatur.

III. — Memores sint Episcopi et Capitula decretis Concilii Tridentini (sess. v, c. 1 *De reformatione* — et sess. xxiv, c. 8) expresse statutum fuisse, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus duo Canonici, Poenitentiarius et Theologalis, seu Lectoralis, constituentur, iuxta normam ab ipso S. Concilio praescriptam. Curent ergo, ut in iis ecclesiis in quibus impletum adhuc non sit tale praeceptum, quantocius ad praxim deducatur, super quod eorum conscientia oneratur.

IV. — Quoad utriusque Canonici institutionem, et sacerdotum nominationem, qui eis inservire debeant, serventur ab Episcopis omnia quae a Tridentina Synodo in supra citatis decretis praescripta fuere.

V. — In aliquibus Cathedralibus nostrae Mexicanae nationis etiam habentur, quemadmodum pro Ecclesia Hispanica fuit statutum, et ab ipsa recepimus, duo etiam canonicatus, ab officio nuncupati, Magistralis scilicet ac Doctoralis, quorum provisio per concursum, seu litterario certamine mediante, recte peragitur. In Ecclesiis

nostrae Provinciae in quibus tales Canonici adhuc subsistant, praxis apud illas praestituta servetur, sed nec hac de causa, nec ob ullum praetextum Canoncorum Poenitentiarii et Theologalis seu Lectoralis institutio omittatur.

VI. — Officia et munera talium Canoncorum per lucide explicata fuerunt in Tridentina Synodo, in pluribus resolutionibus et decretis Sacrae Congregationis Concilii, in aliquibus Litteris Apostolicis ac etiam in quibusdam probatissimorum auctorum operibus ut v. gr. De Herdt in opere Praxis Capitularis. Consulantur ergo et perlegantur, ut omni diligentia executioni mandentur.

VII. — In Tabascensi autem, et Tehuantepecensi recentioris erectionis Dioecesibus, in quibus adhuc clerus non suppetit sufficienti numero, ad ea omnia constituenda, quae Ecclesiis Cathedralibus sunt necessaria ad divini cultus servitium et splendorem, curent earum Episcopi quam primum id fieri possit, Capitulum efformare et inaugurare, nominando tres saltem aut plures Canonicos, quorum unus sit Archidiaconus, qui praesideat Capitulo, et de ceteris unus Canonicus Theologalis, seu Lectoralis, et alter Poenitentiarius.

VIII. — Cum Dioeceses praedictae in specialibus adiunctis versentur, et praesertim summa sacerdotum penuria premantur, Episcopi poterunt facere, ut Vicarius Generalis, Promotor Fiscalis et etiam Parochus civitatis, praelaudatas de officio Praebendas obtineant, cum dispensationibus necessariis et opportunis.

IX. — Capitulares omnes, tum Metropolitanae Ecclesiae, tum Cathedralium suffraganearum nostrae Provinciae eas vestes et canonicalia insignia induant quae de more, aut iuxta statuta ipsarum, vel de Apostolico privilegio hucusque in usu inveniuntur, sed tantum in

propria Ecclesia, et etiam extra, quotiescumque Capitulariter intersint. Extra Dioecesim vero nullo modo eisdem Canonicalibus insignibus utantur nisi mediante Apostolico indulto.

X. — Episcopus est, ut antea diximus, Ordinarius Collator omnium beneficiorum in sua Dioecesi vacantium; ideoque iuxta praelaudata statuta a Concilio tertio Mexicano exarata, et ab Apostolica Sede recognita, ipsi competit ius collationem faciendi sacerdotibus nominatis ad servitium cuiuscumque Dignitatis, Canonatus et Praebendae.

XI. — Cum aliquis Sacerdos ad qualemcumque Dignitatem, Canonatum, aut Praebendam promotus fuerit, professionem fidei coram Episcopo faciat, ut ab ipso collationem recipiat.

XII. — Iis omnibus peractis, Capitulum iuxta statuta propriae Ecclesiae inter nos vigentia, prout a Concilio tertio Mexicano ordinata fuerunt, et servatis caerimoniis iuxta praelaudata statuta servandis, Capitulum possessionem realem ipso oratori, prout de iure et legitima consuetudine, dabit.

XIII. — Quoties in Capitulis aut Dignitas, aut Canonatus, aut Praebenda, quamvis de causa vacaverit, non diu vacatio protrahatur, sed quam cito de illius provisione, Metropolita in Archidioecesi, et Episcopi suffraganei in suis Ecclesiis, maxima diligentia procurent.

XIV. — Sede autem vacante, prohibentur provisiones beneficiorum Capitularium, ita ut ea perdurante, neque Capitulo, neque Vicario Capitulari ullo modo liceat Praebendatos, neque Canonicos neque Dignitates eligere aut nominare.

XV. — Canonici honorarii, si oporteat, in Dioe-

cesibus instituere, nominentur ab Episcopo de consensu Capituli; sed tanto honore insigniti, sciant et intelligant se nec partem Capituli constituere, nec ius ad ulteriorem promotionem acquirere, ideoque nec ad Capitulares conventus vocentur, nec mensae Capitularis participes fiant. Habeant vero stallum in choro, vestes et insignia canonicalia induant, et aliis muneribus honorificis quae in more sunt gaudeant. Sed etiam onera adimpleant, si quae Episcopus et Capitulum ipsis in actu nominationis imponant.

XVI. — De cetero, omnia iura, privilegia, praerogativas et exemptiones a iure canonico Capitulis concessa, aut a Sede Apostolica approbata aut indulta, Nos itidem agnoscimus iuxta concessionis tenorem, et in eo ipso statu in quo, hic et nunc in praesenti Ecclesiae disciplina admittuntur et vigent.

§ III.

De bonorum et proventuum Metropolitanae et Cathedralium Ecclesiarum administratione et distributione.

Omnibus notum est quod multis ab hinc annis Cathedralium Ecclesiarum in universa nostra patria, nihil aliud habent pro congrua sustentatione Antistitum et Canonicorum et pro divini cultus splendore, et etiam pro materiali fabrica ecclesiae et inservientium compensatione, et generatim loquendo, pro omnibus expensis faciendis et erogandis; nihil aliud, inquam, habent quam proventus ex decimis per unamquamque Dioecesim collectis.

Pariter constat quod universa decimarum quantitas pro singulis ecclesiis collecta, ad omnes praedictas expensas erogandas, iuxta normas in Statutis Ecclesiae

Mexicanae praescriptas fideliter distribuitur, et ad hunc finem Capitula Cathedralium quotannis duos Canonicos administratores decimarum constituunt, qui vulgo nominantur *Jueces hacedores* vel etiam *Claveros*.

Nos igitur ut praedicta statuta in re tanti momenti serventur, et etiam ad rectam administrationem et distributionem decimarum proventuum obtinendam, intendentes; volumus sequentes normas consignare et statuere.

I. — Duo Capitulares ab Episcopo et suo Capitulo nominentur qui decimas administrent; primus alter, alter secundus, qui accuratam rationem accepti et expensi in libris conscribant.

II. — Capitulares praedicti omni diligentia curabunt decimarum solutionem ab agricultoribus faciendam, tum ipsos per epistolas adhortando, tum a parochis et decimarum collectoribus expetendo, ut summa efficacia huiusmodi solutionem requirant.

III. — Singulis annis mense Ianuario coram Episcopo et Capitulo rationem reddent suae administrationis, debita forma factam, quam Episcopus, servatis servandis, approbabit.

IV. — Primo anno transacto, administrator qui primus erat, cessabit a suo munere, et secundus erit primus, cui alter secundus nominabitur, et sic annuatim proseguendum erit, ita ut quisque duos annos in munere permaneat. Cessans autem eligi non debet iterum nisi post alterum annum delapsum.

V. — In Ecclesiis vero in quibus exiguus sit numerus Capitularium, unus tantum administrator nominetur, qui suum munus solus adimplebit iuxta praescriptum in superioribus decretis.

VI. — In Ecclesiis Tabascensi et Tehuantepecensi

nominentur Administratores praedicti ab Episcopis, qui eos assument de clero, donec constituatur in illis Capitulum; quo facto, pro huiusmodi munere obeundo, nominetur unus ex Canonicis, ut supra dictum est.

VII. — Iuxta Rescriptum Pontificium pro Archidioecesi de Antequera die 16 Augusti 1891 omnino prohibentur qualescumque anticipationes pecuniae ex decimarum cumulo seu acervo subtractae; ideoque absolute abrogatur omnis consuetudo in contrarium. Eadem sit lex in tota nostra Provincia, et potiori ratione etiam supplementa, seu praestationes ex decimis adhuc non receptis prohibentur.

VIII. — In eodem Rescripto nova, uberior et commodior pro distribuendis decimis norma in hac Metropolitana Ecclesia statuitur. Vehementer optamus ut omnia istius Provinciae Capitula pro uniformitatis bono, et pro Sedis Apostolicae sensu sequendo, huiusmodi distributionis rationi subiiciantur.

IX. — Quantitas integra decimarum singulis annis collecta, etiamsi quarundam solutio ad elapsos annos pertineat, nulla de hoc habita ratione, distribuatur more solito, vel iuxta praedictam normam a Sancta Sede praescriptam.

§ IV.

De quotidianis distributionibus in Cathedralibus Ecclesiis faciendis.

Catholicae Ecclesiae mens semper fuit ea omnia promovere, quae ad divini cultus decorem spectant, ne qua in parte languescat et deficiat. Ea de causa Tridentina Synodus (Sess. XXI, c. 3, *De reform.*) sapienter statuit: « in Ecclesiis tam Cathedralibus quam Colle-

giatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum et obventionum, tam Dignitatum quam Canoniatuum, personatum, portionum, et officiorum, separari debere; et in distributiones quotidianas converti, quae inter Dignitates obtinentes, et ceteros divinis interessentes, proportionabiliter, iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt: non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscumque. »

Item in Sess. xxii, c. 3, *De reform.* eadem Sacra Synodus sequentia mandavit: « Episcopi etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatum et officiorum, in ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas, dividere possunt: ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium iuxta formam, ab eisdem Episcopis praescribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur. »

Denique idem Concilium in Sess. xxiv, c. 12, *De Reform.* ita habet: « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusionem aut remissione exclusam, his careant, iuxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit: — *Consuetudinem*, quod sancta

Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. »

Quae cum ita sint, eo vel magis haec suprema decreta in praesens adimpleantur oportet, quod temporum iniuria vicissitudinumque angustiis adeo in Cathedralibus nostris imminutus sit Canonorum et ministrorum numerus, ut magna difficultate adesse possint quotquot ad divina officia sunt necessarii.

Itaque nostro munere fungentes, sequentia praecipimus.

I. — In Ecclesiis Cathedralibus huius nostrae Provinciae, in quibus nullo modo adimpletum fuerit quod Sacra Tridentina Synodus tam sapienter mandavit pro quotidianis distributionibus instituendis, quam primum Episcopi et Capitula id faciant.

II. — Ad praeaudati Concilii normam, tertiam partem fructuum a Dignitatibus, Canonicis et Praebendis liquido percipiendorum, primum e massa separare debent, tum pro distributionibus quotidianis, tum etiam pro communibus oneribus chori et altaris sublevandis.

III. — Quotidianae distributiones fieri debent, solum inter praesentes, qui pro rata iure accrescendi gaudent, servata debita proportione, prout sint sive Dignitates sive Canonici aut Praebendati.

IV. — In huiusmodi distributionibus faciendis servetur norma a praedicto Concilio statuta, et in casibus dubiis consulantur decreta S. Congregationis Concilii et etiam doctrina a probatissimis auctoribus tradita.

§ V.

*De Capellanis chori,
aliisque in Cathedralibus inservientibus.*

Dei domus decor exigit, ut divini cultus servitium debito splendore perficiatur, nam per illud rite peractum, et Summo Deo honor, laus et adoratio tribuuntur, et fideles caerimoniarum magnificentia attracti, magis ac magis ad nostrae sanctissimae religionis actus alliciuntur, ut sic, quantum fieri potest, summo rerum omnium Domino praestetur ab homine obsequium pro viribus et toto corde perfectum.

Ad hunc attingendum finem haud dubium est, quin in Cathedralibus Ecclesiis ministri in sufficienti numero requirantur, qui altaris et chori servitio fungantur; ideoque aequum iubere decernimus:

I. — In Metropolitana Ecclesia et in singulis Cathedralibus, Capellani eo numero, chori et altaris servitio adscribantur, qui satis esse videatur, ut auxilium capitularibus praestent in ecclesiasticis officiis obeundis.

II. — Sint etiam unus aut duo caerimoniarum magistri, chori moderator et psalmistae, cantores et musici, et etiam chori pueri, qui in ipso choro et Capitularibus inserviant.

III. — Constituatur Sacerdos, aut saltem Diaconus, qui Sacristae Maioris officio perfungatur, una cum ceteris inservientibus sibi subditis, qui fidelissima cura, data cautione, vasa sacra, suppellectilem et alia ecclesiae mobilia custodiat, et Canonicis et aliis sacerdotibus in sacristia venientibus deserviat.

IV. — Nominetur denique punctator, qui fidelissime absentias Capitularium adnotet in Libro apposito,

ut ita religiosissime et ad totius iustitiae normam fieri distributiones quotidianae valeant.

V. — Omnes isti, de quibus in hac paragrapho tractamus, regulis et statutis in sua Ecclesia Cathedrali vigentibus subiiciantur, ut ita quisque in suo munere, servatis servandis, officium exequat.

VI. — Itidem Dignitatibus, Canonicis et ceteris Capitularibus, sicuti et etiam suis immediatis superioribus, debitum obsequium praebeant, ut et obedientia obsequentes, et caritate addicti, omnes in divini cultus splendore zelantes conspiciantur.

TITULUS VIII.

DE VICARIO CAPITULARI.

Ad faciliorem promptioremque negotiorum expeditionem, et ut grex contra lupos sit opportune munitus, mortuo Episcopo aliquoties Sancta Sedes Apostolica administrationem vacantis Ecclesiae alicui Praesuli committit; sed quam saepissime, prout in iure statutum est, ordinaria Episcopi defuncti iurisdictio ad Capitulum transiit, a quo tamen transmitti debet sine ulla limitatione ad Vicarium Capitularem infra octo dies, maiortate absoluta suffragiorum eligendum. Novissime vero a Sanctae Memoriae Pio Papa IX datae fuerunt litterae apostolicae *Romanus Pontifex* die 28 Aug. 1873, in quibus apprime statutum est quomodo talis electio fieri debeat, et quomodo Vicarium Capitularem in suo munere exercendo agere oporteat, usque ad nominationem novi Episcopi, qui defuncto succedat.

Haec omnia prae oculis habentes, sequentia de Vicario Capitulari statuere decernimus:

I. — Sede Episcopali vacante, intra dies octo post Episcopi mortem, aut post ipsius translationis notitiam certam acceptam, Vicarius a Capitulo eligatur, maiore absolute suffragiorum iuxta formam a praedicto Summo Pontifice praescriptam.

II. — Sede vacante, nihil in Dioecesi innovetur, et ipsi Vicario Capitulari iuribus Episcopalibus praedictum ullum facere minime licet.

III. — Vicarius Capitularis de sua administratione novo Episcopo ad Sedem ipsam promotum rationem reddere tenetur. (Conc. Trid. Sess. xxiv, c. 16, *De Reform.*).

IV. — Cum Sacra indulgentiarum Congregatio (15 Nov. 1878) prudenti consilio constituerit, ut Vicarii Capitulares se abstinere ab iis peragendis, quae ad Confraternitatum erectionem, aggregationem et statutorum approbationem respiciunt; in Provincia nostra ab his faciendis se abstinere.

V. — Renovamus decretum Concilii III Mexicani, declarantis: Confessarios omnes ab Episcopo approbatos, si is obierit, in eadem facultate et licentiarum usu remanere, etiam ubi agitur de licentiis concessis ad tempus, ut dicitur, voluntatis. Proinde Vicarius Capitularis non videat denuo licentias, nisi specialis ratio in aliquo casu particulari contrarium suadeat.

TITULUS IX.

DE ARCHIPRESBYTERIS SEU VICARIIS FORANEIS.

Cum Episcopi non possint ubique adesse, ac per seipsos intendere in ea omnia, super quae sollicita sacrorum Antistitum vigilantia exerceri debet in com-

missi gregis salute procuranda, Vicarios Foraneos in regiminis sui adiutorium assumpserunt.

Officium Vicariorum exprimitur in L. I Decretal. (Tit. xxiv, De Offic. Archipresb. cap. *Ut singulae plebes* § 4) his verbis: « Ut singulae plebes Archipresbyterum (*Vicarium Foraneum*), habeant, propter assiduum erga populum Dei curam, singulis plebibus Archipresbyteros praeesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiant; et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient cuncta referant ad Episcopum, nec aliquid contra eius decretum ordinare praesumant. » Haec igitur praecipimus:

I. — Sedulo attendere debent facultatum ab Episcopo in scriptis concessarum tenorem, et nihil contra vel praeter eas agere; dubias autem et difficiliore aut graviores causas ad eum pro resolutione referre.

II. — Qui nominati fuerint Vicarii Foranei, antequam officium sumant, fidei professionem emittent, coram Episcopo vel eius Vicario Generali; necnon iuramentum praestabunt de munere recte et fideliter adimplendo.

III. — Vicarii Foranei tenentur, ex officio, invigilare super parochias, quae eorum circumscriptioni assignatae fuerint, et prudenter inquirere de vita et moribus clericorum, necnon et laicorum: an parochi munus pastorale rite adimpleant; an ipsi parochi et presbyteri suae ditionis, pie et honeste vivant; an ad studium diligenter se applicent, librosque ad id necessarios habeant; an observent decreta synodalia; an eorum incuria divinus cultus aliquod detrimentum patiatur;

et an et quomodo parochi bona Ecclesiae administrent.

IV. — De subortis parochos inter et fideles difficultatibus, nisi eas ipsi dirimere facile possint, atque de abusibus apud clerum aut populum grassantibus, Episcopo rationem reddant.

V. — Olea sacra parochis opportune distribuant, aut procurent ut iidem, iuxta consuetudinem, pro sacris Oleis accurrant: Episcopi mandata ipsis transmittant, ac eorum executioni prospiciant.

VI. — Aegrotantibus parochis, Sacramenta absque mora ministrent, aut ministrari curent, et si de vita decesserint, per se vel per alium sacerdotem convenienter eos sepeliant.

VII. — Possunt etiam Vicarii Foranei parochis aliisque sacerdotibus permittere, ut ex rationabili causa, et provisione facta de sacerdote, qui eorum vices suppleat, a paroecia per sex aut ad summum per octo dies absint; ad Episcopum vero de licentia concessa referant.

VIII. — Semel in anno, vel saepius si ab Episcopo praescribatur, paroecias sui Vicariatus visitent, et sedulo inquirant: an et quomodo servantur decreta synodalia, vel alia quae ab Episcopo in sua visitatione instituta fuerint; an omnia sacra debito honore atque decore tractentur, habeantur et peragantur, etc.; non tamen ut molesti exploratores, sed ut amici et fratres. Accusationes non facile excipiant; sed maturo et districto examine perpendant; eas enim non raro contra presbyteros et parochos confingit impietas, accipit credulitas, disseminat malignitas.

IX. — Absque ulla humana consideratione acta de omnibus quae inquirant fideliter conficere teneantur, et

infra mensem integra cum convenienti informatione ad Episcopum mittere.

X. — Quoad honores Vicariorum Foraneorum servantur decreta SS. RR. Congregationis et legitima consuetudines.

XI. — Enixe igitur eos hortamur, ut proprii officii partes, quas hic determinamus, et etiam alias speciales facultates quibus sui Episcopi dispositione muniantur, perspectas constanter habeant, expendant sedulo, atque omni studio adimpleant. Fraternalis sit semper unio et sacerdotalis concordia Parochos inter et Vicarium Foraneum, ut omnibus christianae caritatis praebeant exemplum. Parochi Vicarium Foraneum existiment tamquam a Deo sibi praepositum; Vicarii autem meminerint se tantum esse praesulis adiutores; et in aliquibus vices gerentes, seque nullam exercere iurisdictionem, nisi super fideles propriae paroeciae. Omni ergo reprehensione digni erunt, si tumide et indecore, superbia elati, debitum parochis non praestent urbanitatis obsequium, ipsis molestiam magis quam levamen afferentes.

A parochis autem, a clero et fideli populo expectamus, ut ea quam proprio Vicario Foraneo debent obedientiam et reverentiam ipsi quoque praestent, ac exhibeant.

TITULUS X.

DE PAROCHIS.

Procul dubio parochorum institutio maximi momenti in Ecclesia Dei semper habita et tenenda est; nam in Episcopi auxilium et ad Dioeceseos procuracionem vocati, praestantia munera exercent, et eo utilius illis